Witowski Stan.

Tuba verum spargens sonum
Super sceptra nationum.

Impressum Anno Domini 1631.

durch Vermittelung
des Herrn Friedlein
in
Krakau

[illegible] Dümmler's Buchh.

Tuba verum spargens sonum
Super sceptra nationum.

TUba sum, sed nondum illa, quæ Vos, Reges & Principes terræ, ante supremum sistet thronum; ubi stricta, tremendo Judici Deo, reddenda erit ratio, cur tantoperè?

Bella geri placuit nullos habitura triumphos.

Nam Christiana; nam Civilia: eo planè tempore Regnorum Vestrorum placuit dilatare pomœria; quo Regnum Dei, quod intra Vos est, ab immanissimo arctatur fidei hoste. Murata Dei templa diruuntur ac profanantur; viva verò, quod grandius est nefas, in barbaricam abducuntur servitutem; & hæc omnia Vestro ferè jussu, quia permissu.

Necdum illa sum tuba, quæ Vos, cineresque Vestros ad tribunal famæ, & prosperæ ad posteros memoriæ citabit & interrogabit,

Cur - - - - - *pro fœdere, proq;*
Justitia, est ensis? - - - - -

Cur Vobis videtur, id in summa fortuna æquius, quod validius?

Cur - - - *quæritur belli exitus,*
non causa?

Nemo nocens, nisi victus?

Nec vehemens illa ſum tuba, cujus raucedinem, delicatioribus ſuſurris aſſuetæ Regum non ferunt aures: Illa ſum tuba, quæ reverenti cultu, Veſtris allabens auribus Regios obtutus Veſtros, adverſo Chriſtianitatis fato, in Occidentali plaga & bello defixos, ad Orientalem, meliori convertam omine: ut tandem aliquando periculoſum pacis Sophiſma intelligatis: quo olim toti Orienti, nunc jam & Vobis ipſis, humanisſimus, & hoc ipſo immanisſimus illudit hoſtis.

Noni ſeculi decurſu, à Perſarum Rege contra Saracenos belligerante, evocatos Turcas & ex latebris Caucaſi montis, ceu peſtiferam luem, publicum in theatrum effuſos conſpexit Orbis.

Tempus erat, quo decumani illi Europæ & Africæ fluctus; Gotti, Vandali, Heruli, Longobardi, Hunni, Alarico, Attilâ, Genſerico, Hunerico, Odoacre, Theodorico, Regibus & Ducibus, poſtquam à Septentrione erumpentes, tot Regna inundaverant, Romani Imperii fortunam, uſque ad veſtigia ejus abolenda ſuppreſſerant; poſtquam uno & altero ſeculo, tragicas in theatro Orbis luſerant ſcenas; Ipſi viciſſim, partim enervatâ vi, per continua, ſine intervallo pacis, bella, extinctâ ſenſim feritate, potentiam ſimul ſuam, & tempeſtatem Orbis conſummârunt,

Tempus inquam erat, quo aliud quoque Arabicis ex montibus, Saracenorum exortum in Oriente fulmen, paruit quidem in Occidente, & Africam, Hiſpaniam, Galliam pertranſivit; ſed tandem, cum totâ vi & potentia niteretur, jam langueſcere & diſſipari cœperat. Notabile & ingens, poſt ſe hi turbines Orbis, haud perennatu-

ra,

ræ, ſine adminiculo artis, Martis potentiæ, reliquerunt exemplum. Quo Turcica (de qua Nobis nunc res eſt) in tantum profecit, ipſa inter primordia, fortuna; ut crederet, nil diu durabile, quod continuò violentum eſſet. Proinde non cæco illo, ut memoratæ Nationes impetu, Gentes & Regna aggredi & expugnare auſa; ſed ita Martem Mercurio temperandum, bellum pace condiendum cenſuit; ut, quemcunque bello laceſſere contigit, eundem illicò, ſpecioſo pacis titulo delinire, blandæ ſocietatis armorum illicio demulcere, inebriare, & in oblivionem injuriarum inducere, apprimè & ſtudioſè contenderit; adeo, ut pacificis his artibus emolliti, ceu dulci veneno paſti, aut præſtigiis incantantium infaſcinati Populi, faciles ad ferendas redderentur injurias: Et qui ferro ferrum; hoſtili impetui infracta oppoſuiſſent pectora; infido & verſipelli Amico, titulis amicitiæ & tractatuum, paterent inermes: quasvè bello conſervârunt Provincias dum in acie ſtarent; easdem per Tractatus quaſi amicos, deprecatione belli, poſtquam pacis dulcedine caperentur, ſerviliter amitterent. Hinc eſt ut Turcicum Imperium continuatis per ſeptimum jam ſeculum incrementis, in eam, quam cernimus & ſuſpicimus, aſſurrexerit, aſſurgatque molem: Scilicet dulcedine pacis, belli amaritudinem taliter temperando; qualiter molli calce & cæmento, lapidum durities intermiſceri ſolet, in opus nullis perviũ ictibus, & in ævũ ſuum duraturũ coaleſcit. Exempla, ne longior exiſtam, quàm inſtituti mei fert ratio, pauciora & principaliora afferam: tum & illa quæ eò validiora cenſeo; quò recentiora ſunt.

Circa Nongenteſimum, ut ſupra diximus, annum, evocatià Perſis in belli ſubſidium Turcæ, aliquas in Per-

ſide Provincias, præmii loco acceperant per Tractatus. Demùm continuato cum Saracenis bello propriis viribus, vacantibus interim ab hoc Martis exercitio Perſis, tandem quos tutandos, tàm grandi ſtipendio ſuſceperant, eosdem altæ quieti merſos, aliter imminente periculo, ulterius defendere recuſârunt, donec novo tractatu, Turcas, ex ſubſidiariis populis, ſuos facerent Dominos.

Ita occupatâ ſine ſangvine Perſide, (quam poſt amiſerant;) Saraceni petendi erant, non tàm hoſtili telo, quàm amicitiæ velo.

Ab his pacem & religionem Mahometanam, ſocietatem quoque belli, magna cum dote Aſiaticarum provinciarum acceperant.

Venientibus illas in Regiones Chriſtianorum armis, pro recuperanda Terra ſancta, Saracenis aſſiſtentiam dare, niſi novis ab iisdem cumularentur Provinciis, renuerunt. Quibus aliquot per prælia fractis, Turcæ aliam arripuêre occaſionem perpetui ſine ſangvine incrementi: pacem, amicitiam, & ſocietatem Conſtantinopolitanis offerendo Imperatoribus, præmio identidem regionum. Quibus aucti, iterum eò arctiori Caliphis Ægyptiacis, Saracenorum Principibus junguntur fœdere; quò debiliores jam eſſe viderent, magisque amicis obnoxios technis. Ita factum, ut non longo poſt tempore, eos non evaginato penè, niſi ad Damiatam enſe, ſub Selimo, primò Provinciis, mox & Regno exuerunt.

Quid memorem per tractatus cum Imperatoribus Græcis ſub Orcane, potiores minoris Aſiæ Provincias, ſolâ Pruſſiæ urbe expugnatâ, occupatas! Per tractatus Amurates trajecto Helleſponto, Græciam invaſit. Per tractatus & connubia, Serviam & Bulgariam, vix

ſtricto,

ſtricto, contra Lazarum Deſpotem enſe, cætera pacis inter Conditiones poſſederunt. Octennii pace, Thraciam ita ſui reddiderunt juris, ut capta per vim Adrianopoli, Philipopoli autem cum reliquis, per tractatus occupatâ, unico à Conſtantinopoli miliari, diſtanti in loco fortalitium extruxerint: Compedes Boſphoro injecerint; Aſiam cum Europa junxerint ſpectantibus Græcis, & ceu cum Amicis, diſſimulantibus, pacemque abrumpere nolentibus: quam tantò dulcius occinebat ſecundus Mahometes ore; quantò crudelius bellum fovebat corde: in tantum ut ablatis eum in modum ſine bello Provinciis, in ſolam Urbem Conſtantinopolitanam, vim & potentiam exereret hoſtis; cum cætera caperet ut Amicus.

Ungaria, illatâ Turcis ad Belgradum clade, ablata ſub Matthia Rege recuperavit: & tamdiu ſalva, quamdiu Turcarum hoſtis erat. Ubi verò pacis admiſit nomen, Tractatibus perire cœpit, peritque. Trabiſondinum quoque Imperium nonniſi aliâ pace, Turcicas cecidit in caſſes; Nec enſem hoſtilem vidit, niſi in jugulo Davidis Comneni ultimi Imperatoris, & Procerum. Veneta Reſpublica nonne Calcidem & Scutari, aliàs Acropolim, & tot Inſulas tractatu pacis perdidit; Cum non ita pridem ultra viginti annos, de una bello diſputaverit Urbe: adeò, quanta ad præſentem diem poſſediſſet dominia, ſi tàm ſtrenuè pro primis, ut pro ultimis, certâſſet? Valachia nonne per ſocietatem ejuſdem periit? Montes Ceauniæ, & illorum Populi liberi, Albaniaque nonne Tractatuum ſuccubuêre fato?

Non hic recenſebo eos Tractatus pacis, quos Imperialis Auſtriacorum Familia, Ungaricis admota ſce-

ptris, hocce cum Vicino tot vicibus conſcripſerat: Ad quos peragendos, nonne aliquando, vix auditâ facilitate, ſecundus poſt Veſirum, Imperii Turcici Miniſter Statûs, Caimacan, Viennam usque venerit? Pateret utique ex illis quantùm, non per ſangvinem, ſed per atramentum fuſum, à Regnis Ungariæ, Croatiæ, Sclavoniæ avulſum? quanto cum dedecore ceſſum Amico, de tot Urbibus, Arcibus, Ditionibus; quæ hoſti per arma negatæ fuerant; quanti nummi titulo donationũ toties promiſſi, dati, & nunc, non quidem ſignato, ſed elaborato auro & argento, dantur crudeli Amico, quoties aliter pax mendicata haberi non poteſt? Sed quomodo dicenda pax, quæ exhauſtis Populorum fortunis, ceu exangues, belliqueamplius gerendi efficit incapaces? Pro documento erit, ſat celebris ad ſanctum Gothardum in Ungaria Victoria: Cujus tamen fructus, ſolitis Turcarum artibus, Cæſari excuſſi, paxque indecora & damnoſa, ingeſta, cujus miſera ad præſentem diem conditio, vel indè patet, quod continuata armorum non deſiſtunt certamina: clades ab utrinque intermiſcentur continuæ ab intra foventur diſcordiæ: incertæ de Dominio, certæ de exitio, ſupremos agunt agones: Tandem hæc omnia, quæ crudelibus æquiparantur bellis, pax vocantur: toleratis, in perſonis Miniſtrorum confuſionibus & deſpectibus, ſpecioſus ille, tàm nefandæ pacis, ſollicitatus titulus.

Quisquis curioſus rerum eſt indagator, evolvat faſtos: examinet Turcici Imperii Chronologiam; plura his, quæ dico, reperiet, fatebiturque non tàm armis, quàm his rationibus ſtatûs, hanc potentiam creſcere, ſolidari & perennare. Quarum prima eſt.

Quo-

Quoties Regnum vel Populum adoriuntur bello, illicò & pacem eidem offerunt; contenti aliquâ terræ, vel ditionis portione: ne fortè diuturniori bello exercitatiores contra se belligerantes evadant Populi: Ne vicinos communione periculi in societatem armorum contra se evocent: ne ad desperationem (quæ reddit præcordia victis, & ingentes solet patrare ausus) redigantur Populi; collectis supremis viribus, hostem adhuc hospitantem, nec benè stabilitum, finibus suis ejiciant; sed potius ut longa pace, gladio discinctus, ceu redempto bello Populus, dilapso milite, deficientibus per ætatem, belli Ducibus, senescat & ipse: succrescens verò posteritas assvescat malo, sub quo nata, & educata.

Secunda statûs Turcici ratio, ut quidquid injustissimo malè acquisitum bello; per tractatus, ceu legitimâ cessione & donatione, solidetur: quodque erat facti, juris fiat.

Tertiò, facta, ut diximus pace, officia intermiscent: ut in Amurate, Selimo & Orcane visum: Connubia & fraternitates contrahunt, in tantum, ut se hac ratione multoties reddiderint arbitros Christianorũ Principum in Asia & Græcia: maximè cum de successione, vel de electione, vacantibus sceptris res ageretur: multotiesque erant & alienæ libertatis, & jurium superarbitri: ut inter Palæologum, & Cantacusenum: inter Emanuelem, & Thomam Palæologum, facta testantur exempla.

Quartò ubi viderint Populos, quorum Martialem ferociam, tàm oblata pace, quàm memoratis officiis emolliverant, penitioraque tam consiliorum, quàm defe-

defectuum, ex propinquitate vicinitatis, ex crebrioribus missitationibus, commerciisque cognoverint & exploraverint; tum demùm, seu ex occasione alicujus facti, vel prætensæ injuriæ, vel ex ratione limitum, vel ex historia antiqua, sumpto aliquo fundamento, imparatis improvisum minantur Martem, nisi hac provincia, illo fortalitio, sibi benevolè redimatur. Tum Populi, tempori iniquo & necessitati cedentes, Regni sui corpus mutilare non dubitant: tuta & præsentia, quàm vetera vel futura & periculosa malunt: Ita sine sangvine accedit Turcis. Populi eousque extenuatur fortuna, ut non amplius in posterum restet, quàm servilis belli, & minarum ejus deprecatio. Prout in Peloponneso superiori seculo visum: Cum Amurates, deprecantibus prætensam injuriam iis populis, inter conditiones redintegrandæ amicitiæ posuit, quatenus claustrum Isthmi Corinthiaci, antemurale suum propriis disjicerent manibus: ut non amplius eidem fidentes muro, diligentius suam colerent amicitiam. Cesserunt tum illi necessitati, eversoque illo muro, & ceu ultroneas, Turcicæ inundationi aperuerunt cataractas.

Hæc omnia legere fas est in historiis. Sed si ocularis plenè recensque inspectio placuerit, Polonam adpræsens videamus sortem. Secundum jam decurrit sæculum, ex quo Polonia, armorum & amicitiæ Turcicæ fecit discrimen. Primò ex occasione sociæ & amicæ Ungarorum gentis: Cui Reges Poloniæ, aut eorum fratres, tum & nepotes præerant. Secundò ex Occasione feudalis Terræ Valachiæ. Tertiò ob excursiones piraticas Cosacorum Zaporoviensium:

qui-

quibus Pontus Euxinus haud impervius, crebris Constantinopolim, Imperatorum sedem objiciebat periculis, adversaque illa littora Sinopen usque & Trabisundam.

Nunquam Polonos (unam solamque ad Cecoram si exceperis occasionem, ubi tamen non robur visque Turcica, sed fraus Valachorum, & panicus nonnullorum militiæ Præfectorum prævaluit terror) Turcica afflixerunt arma. Illi è contra, Turcis in Valachia & Podolia, tot dederunt clades. Ita etsi fortuna & virtute superiores Poloni, postquam tamen facilem aurem paci, Candorem Sarmaticum tractatibus concesserunt; Antemurale suum Valachiam, adversamq; Turcis Danubii ripam amiserunt.

Amore pacis cum Turca conservandæ (etsi Tauricanorum in Poloniam excursiones non prohibuerit, prout tenebatur:) Nihilominùs tamen Poloni injecto Boristheni fræno, Martialem Cosacorum suorum indolem, non modò detinere domi, sed vix non suffocare decreverant. Non tamen cessit hoc apud infidum Amicum illis in meritum; imò in exitium. Quietis ille impatiens fervoreque suo bulliens Cosacorum sangvis, unà olim cum Boristhenis undis in mare exonerari solitus, ipsos in Polonos regurgitavit; Commotâque totius Regionis multitudine, adscitâ in societatem sceleris Tauricanorum potentiâ, non vetante, ut fas erat, sed connivente Turcâ, universam sangvine & igne inundavit Poloniam: ultra trecenta millia hominum, cædes & faces ferentium, Polonorum infundens visceribus.

Propè triginta per annos, hocce cum malo, gens illa luctabatur (ut Moschoviticas, Svecicas Transilvanicas, Brandeburgicas hostilitates ceu belli Cosacici & Tartarici symptomata omittamus:) Cùmque jam res in eo essent, ut tot cladibus domita, disceret tandem servire rebellio: Gentis Polonæ, tot pactis, & Provinciâ Valachiæ obligatus amicus, accipit in clientelam & protectionem alienæ ditionis populum: tamque insigne, de pace conservanda, Polonorum studium, vertit in noxam: Aggreditur Gentem Polonam tempore iniquissimo: Occupat cum Podolia Camenecum, non armis belloque expugnatum; sed temeritate, & quâdam vesaniâ incolarum, per exclusionem aliquot Legionum, pro urbis præsidio, providentiâ supremi belli Ducis submissarum, disarmatum, & vix non ultroneè deditum: illicòq; suo more, pacem offert eo tempore, quo tervè quatervè iteratis præliis cæduntur Tauricani, planè sub oculis Turcarum Imperatoris, ad fugam noctu dieque continuatam, iis cladibus compulsi: Cæduntur sequenti anno intra munitissima castra, expugnati ad Chocimum exercitus ejus: Capitur per vim, munitissimum Chocimi castrum, Bar. Jazlovecii, Miedzibozii, Ratzkoniæ, sub Turcis civitates & munitiones expugnantur: fugantur ad Leopolim Tartari tertio anno: quarto Turcæ ad Tremboulam: quinto ad Zoravvnam, longâ statione, cladibus cœlique intemperie imminente, ad honestam pacem tam Turcici, quàm Taurici coguntur exercitus: iisq; omnibus victoriis, expugnationibus, cladibus, fugationibus constricti, offerunt eam invicto Polonorum

Regi:

Regi: Tractatur oblata: concluditur tractata: Legatus Constantinopolim mittitur ex castris: alter solennior à Comitiis. Confidunt Poloni paci: discinguntur gladiis: Quid ad hæc? Vindictam acceptis pro cladibus spirans, odium irreconciliabile fovens, Ottomannorum non immemor pragmaticæ, bello invictos, subdola contendit amicus ille sternere pace. Accepta tempore belli damna, malefido ulciscitur tractatu; ad Zoravvno laudatas & probatas conditiones impudenter retractat. Reportat Legatus conditiones residuas, quæ illicò imperiosè alterantur: venitur ad dislimitationem Podoliæ: pro potentia, non pro ratione & æquitate decernitur: bellum ingeminatur, ni concedatur, quòd imperatur: Oppidum cum adjacentibus pagis, in Palatinatu Russiæ situm deposcitur. Et sic probatur gentis generositas, an servituti assvescere velit? imperata facere? Sed hic ne finis? Firma ne tot Provinciarum dispendio pax? Minimè. Supererit adhuc exercendæ patientiæ Polonæ, dislimitatio Ukrainæ. Supererunt nova postulata & desideria, fastuosis permixta minis. Supererunt continuæ expensæ pro sustentando in finibus Regni exercitu: aliæ pro recipiendis Turcicis, Tartaricis, Transilvanicis, Valachicis, Cosacicis Legatis, verius dicendum inspectoribus, emissariis, speculatoribus: aliæ pro mittendis ex parte Polonorum ad eosdem: aliæ pro Commissariis, Judicibus Limitrophis: aliæ pro muneribus tàm Ottomannica in aula, quàm in Crimæa faciendis: tum innumeræ aliæ occasiones dispendiorum, quæ tempore tàm infidæ & incertæ pacis erunt continuandæ; etsi non minores ipsius belli expensis, infeliciores tamen: Nam his, ceu inter-

nâ tabe, fortuna Populi Poloni sensim, sine sensu diffluet; & sine ense sternetur. Sic olim Bosnia & Epyrus, tum utraque Peloponnesus: Sic Principatus Sinope, & plurimæ aliæ terræ exhaustæ, ultrò Ottomannicum ivère sub tributum. Supervenit, & adhuc superveniet hac pace, durior & intolerabilior, liberæ Polonorum voci, silendi necessitas: Cùm jam & ad præsens non liceat in publicis consiliis, sine metu profari quid doleat; multò magis, sine periculo præventionis, facere quid expediat? Jam vix non cogitur miseranda sorte Polonia reddere rationem, quidquid consilii cum vicinis, amicisque Principibus agitat: Metuit identidem publicis voluminibus Comitiorum concredere sancita: Cum toties termino tacto citatur ceu ad tribunal tàm potentis vicini & indigenæ: qui etiam affectus gaudii dolorisque, taliter sibi subjectos esse debere præsumit; ut per literas inquirere incipiat, cur non congaudeant Poloni, de felici Turcarum, contra Christianum Principem, Moschum, successu? Erit tempus quo etiam condolere, & tributarias lachrymas sibi dari quandoque voluerit.

Hac eadem pace belli Duces, virorumque robora senescent, & Martiales eorum spiritus, præsertim verò in magnanimo Rege, redivivos Turca submetuens Huniades, Scanderbegos, paci, otio, temporique vincendos tradit; quos armis invictos metuit ipse.

Insuper ab hac malè fida pace ea sibi Ottomannus in Polonia promittit subsidia, quæ in Asia & Græcia ab eadem accepit: ab hac, ceu auxiliares copias, vel internos Polonorum motus; vel egestatem

exhau-

exhausti sensim populi, & exinde debilitatem: Vel (quod avertant Superi) semper equidem periculosum, nunc verò omnino exitiosum & funestum expectat Interregnum. Talibus subsidiis Ægyptum, Græciam, Bulgariam, Ungariam attrivit, profligavit, tandem & occupavit. Horret animus meminisse eorum, quæ sub hoc pacis velo teguntur mala.

Jam ergo Reges & Principes Christiani cernite, Antemurale Vestrum, si quando, tum hac pace, certiùs, quàm generoso bello periclitari? Viros viresq; amittere? Considerate, quanti materies incendii, quo orbis quoque Vester corripiendus destinatur, jacet suppositus cineri doloso; repræsentate Vobis dignum Regiis & Christianis obtutibus Vestris objectum, taliter pereuntem Poloniam? Vestris vel destitutam subsidiis; vel inani spe eorundem tantùm lactatam, nec nutritam. Et si eam, ut decebat clypeum Vestrum, non amâstis, pro Vobis contra immanissimum hostem præliantem, Vestris de hostibus triumphantem; incipite jam timere morientem. Hæc vos in agone suo citabit ad tremendum Judicem Deum, quòd labenti, tot titulis debitam non tuleritis opem: quam Deus in manibus Vestris eo fine locavit: non in mutuam destructionem; sed communem Sanctæ Fidei, & Orbis Christiani conservationem. Assistent illi coram Judice DEO, sancti piique Antecessores Vestri, Conradi, Henrici, Friderici Imperatores: Sacra Ludovicorum, & Augusta Philipporum in Gallia; Magnanima Richardorum, Henricorum in Anglia, Regum Numina: tot Principum Galliæ, Germaniæ,

Italiæ, nomina? Qui olim per terras & undas, per saxa & ignes, diversis Orbis in partibus, sacrosanctæ Fidei quærebant hostem: privatas suspendebant, vel mutuò sibi condonabant injurias: ponebant odia, sumebant Christianam charitatem: vitam & sangvinem dimisſis Regalibus soliis, vel palatiis; omnia, Christianis in Asia & Africa periclitantibus, fraternâ compasſione, Christiana pietate litabant, immolabant. Quid horum nunc in Europa præstatur? etsi periculum in foribus, in oculis; etsi planctus & gemitus compeditorum feriat de propè aures; etsi copiosa in Cœlis merces invitet; Posteritas monstret, quæ parata est rependere, decora? etsi hoc tantùm petatur, quod securitati Regnorum Vestrorum superest residuum; quo Christianus inquietatur Orbis: etsi longè solidioris gloriæ pandatur theatrum, illa cum Epigraphe: Hoc Reges habent magnificum, nulla quod rapiet dies, Prodesse.

Hæc inquam Polonia, toto jam coram orbe protestari parata, non se fore nocentem, si jam cum amissa Ukraina, quinquaginta millia Sclopetariorum, Turcicis subministraverit castris? Tauricanorum, Valachiorum, Moldaviensiumque Equitatuum myriades, domi, ut hactenus, objectu sui non continuerit; si tandem (quod adhuc avertant Superi) gentem suam generosam, & tot invictas bellicis laboribus nationes, quot nunc gremio suo continet Polonia, Turcicum sub Imperium, permisſu Vestro, cadere contigerit. Credite, ex his Septentrionis partibus, (unde contra Imperium Romanum, Gotticæ, Vandalicæ, Hunno-

rum,

rum, Longobardorum inundationes emanârunt) ingens, ceu ruptis cataractis, Ottomannicæ potentiæ diluvium erupturum; Oderas, Albes, Mœnos, Rhenosque Vestros, facilè, ut anteriora probârunt secula, superaturum, non Pireneis, non Apennino sistendum. Nec jam amplius dicite, tenendam Polonis tantisper hanc pacis conditionem; affore tempus, quo subvenietur eidem? Cùm ex suprà memoratis documentis, jam sit in plano, hisce momentis res Polonas perire: & Regem, & Duces, & Milites, quorum nunc ætatem, vigorem, ardorem, carpit avara dies, secula non dabunt alterum. Cùm sensus malorum, ut alibi, ita & in Polonia tantùm viget, quantùm est recens. Longè difficiliùs est eum surgere, qui diu sub onere jacuit & contabuit; quàm impedire, ne succumbat. Subjugatus id testatur Oriens: qui securitatem, quam semel subiit, patienter tolerat: & hostis noster esse incepit; postquam amicus esse desiit. Robur Turcicæ militiæ Janizeri, imò prima Ducum capita, non ne Christianus sangvis? qui Turcicum forticer sustinet Imperium.

Sed ne parvas curas me diutius loqui credatis, Vobisque importunè obstrepere existimetis, Sileo. Cum Christianæ vis conscientiæ Vestris Majestatibus plura insinuabit: & pro libertate, quam etiam Regiis in pectoribus habere solet, aliò versas intentiones Vestras, pro Polonia, pace suâ intereunte, & Regnis Statibusque Vestris, post funera sua Turcicis sub signis exitium minitante, interpellabit.

Impressum Anno Domini 1681.

An

die Universität

zu

Krakau

…anych Rozpraw in 4to 7
in 8. 26.

…ócz Theses niezapisane